



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Friderici Karg Bambergensis Franconis. Pax Religiosa Sive De exemptionibus, & subjectionibus Religiosorum

Karg von Bebenburg, Johann Friedrich

Herbipoli, 1680

Decas I. De exemptione Religiosorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38315



PAX RELIGIOSA

Sive

De Exemptionibus & Subjectionibus Religiosorum.

DECAS I.

De Exemptione Religiosorum.

CAPUT I.


De præcipuis duabus differentiis statûs Ecclesiastici & Religiosi.

7. Monachi ac Religiosi ab Ecclesiasticis præcipuè differunt per quietem. & n. 13.
8. Religiosi fugerunt olim functiones Presbyterales.
9. Multis precibus ad eas subeundas induci debuerunt.
10. Prima cum Monachis dispensatio quoad aliquorum admissionem ad ordinem Clericalem.
11. Non omnes Religiosi ad statum Clericalem idonei reputati fuerunt: ubi de Spiritualibus exercitiis Episcoporum & S. Ignatii in Eremitis aut cœnobiis Machorum.

A

12. Re-

12. *Religiones vitam mixtam professa.*
 13. *Præcipua Clericorum & Monachorum
 differentia*
 14. *Alteræ eorundem diversitas.*
 15. *Quàm illubenter olim Regulares exercue-
 rint vitam activam.*

7. rimam & præcipuam utri-
 usque status, Ecclesiastici
 scil. & Religiosi, differenti-
 am assignavit S. œcumeni-
 ca Synodus Chalcedonensis, relata c.
Qui verè 12. XVI. q. 1. jubendo Mona-
chos amplecti quietem, jejunio ac ora-
zoni vacare, neque communicare Eccle-
siasticis, neque seculares atrectare actio-
nes. Quò se Paschalis I. c. *Pervenit.*
 9. & Alexander II. c. *Juxta II. XVI. q. 1.*
 SS. Pontifices referunt.

8. In quo discrimine tam firmiter o-
 lim à Religiosis perstitum fuit, ut si quis
 etiam monachus, quod rarum erat, Pres-
 byter fieret, munia tamen Ecclesiasti-
 ca, teste S. Epiphano, intra Monasterii
 fines non exercuerit; & S. Hieronymus
epist.

epist. ad Pammachium de semetipso re-
censeat, ita sibi Presbyterii gradum à
Paulino Episcopo Antiocheno colla-
tum fuisse, ut Monachum non auferret,
luculenter significans, ei monachismum
auferri, qui ad pascendum gregem Do-
minicum, vel alias functiones Ecclesi-
asticas & Hierarchicas applicaretur.

9. Hinc vides, si quando cura anima-
rum Religioso, licet invito, in iuncta
fuit, illud ex privilegio, speciali deputa-
tione, & dispensativè, propter urgen-
tes necessitates, jubente Civitatis Epi-
scopo, ut citata Synodus œcumenica
loquitur, factum fuisse: adeo ut multi
per integras orationes, epistolas, & ex-
hortationes inducendi fuerint à SS. A-
thanasio, Chrysostomo, Augustino,
Gregorio M. &c: ad functiones ejus-
modi, sub monasticæ solitudinis ac pro-
fessionis prætextu non declinandas.

10. Ex primis, quos cum Monachatu
dispensasse constat, sunt Syricus P. c.
Monachos 29, XVI. q. 1. & Gelasius P. c.

A 2 Priscis



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Priscis. I. distinct. 55. ob causam necessitatis: cùm Monachi priùs cum plebe in Ecclesijs Parochialibus convenire debuissent, proprios iisdem Presbyteros primò Ecclesiasticos; deinde verò Regulares assignatos fuisse, qui missas legerent, patet ex c. *Interdicimus. IO. XVI. q. I. e. in Ecclesijs. I. de capel. Monachor:* ex S. Gregorio M. qui vix tandem indulsit Victori Episcopo Pannonitano, ut pro Monasterio S. Hermæ Regularem Presbyterum pro dicendis in cœnobio missis ordinaret, cujusmodi quidem Monachos in Concilio Anglicano A. C. 967. *Sacerdotes Missales* dictos, & Monachorum ædes sacras in Concilio Agathensi *oratoria*, non *Ecclesias* nuncupatas invenio.

II. Nec est, quòd ex S. Epiphanio Monachos ad ordines sacros passim admissos quis putet: cùm nonnulli Patres, ut ipsemet S. Epiphanius, & alii ad tempus, meditationis ac recollectionis gratiâ, è publico cœtu in eremos vel alia
 loca

loca à strepitu mundi remōtiora secesserint, ex quo temporaneo Religiosæ solitudinis in eolatu, qualis hodie dum Ecclesiasticis non paucis in usu est, & à Celsitudine sua, cum omnium ædificatione nuper in cœnobio Neostadiensi ad Mœnum ultra dies quinq; susceptus fuit, nemo ritè intulerit, illos verè Monachos ac in eo sensu Religiosos fuisse. Sicut nec ex eo, quòd S. Ignatius *de Lojola* inclytæ Societatis JESU Fundator in monte Serrato à Joanne Cianone Gallo Cœnobita Spiritualibus exercitiis *Garziæ de Cisneros*, sive, ut alii legunt, *Cisnedo* instructus, Albanetæ, in loco quingentis circiter passibus à Cassinensi Monasterio distito, ex SS. Patrum, maximè S. Benedicti, statutis ac regulis, cum unius vel alterius Monachi Cassinensis ope, Regulam Societatis JESU concinnaverit; & in monte Martyrum extra Parisios Sanctimonialium ord. S. Benedicti cum primis sociis prima vota DEO nuncupaverit,

interri debet, illum aliquando Benedi-
ctinum, aut Religionem Societatis JE-
SU primitus ab Instituto S. Benedicti
indistinctam fuisse. Quamquam non
diffitear, aliquos monachatu pro via ad
statum Presbyteralem aut Clericalem
jam tempore S. Hieronymi & S. Grego-
rii M. usos; ideoque S. Augustinum re-
latum *c. Legi. 36. XVI. q. 1.* graviter in
quosdam invectum fuisse, quòd cum
maxima ordinis Clericalis injuria Mo-
nachismi faciem statui tam sublimi de-
stinare præsumperint, eligendo de-
sertores Monasteriorum ad militiam
Clericatûs.

12. Novissimis tandem temporibus
S. Mater Ecclesia integras Religiones
ad ordines Sacros admisit ex privilegio
& gratia particulari; sique nonnullos ha-
bitavit ad prædicandum, excipiendas
confessiones fidelium, aliasque functio-
nes Ecclesiasticas, eas talibus Religio-
nibus per accidens, & ut subsidiariis E-
piscoporum ac Parochorum; non in ti-
tulum,

tulum, nec velut ex officio exercendas
 commisit. Ut proinde Regulares, post
 obtentam licet exemptionem plenissi-
 mam, in his tamen Ordinariorum ju-
 risdictioni subjaceant, non obstante so-
 litâ derogationis Clausulâ privilegiis
 quorundam Religiosorum insertâ, ut-
 pote neuti quam comprehendente c. *vo-*
lentes. 1. §. in eos. de Privil. in 6. qui Pa-
 ragraphus habet specialem rationem re-
 giminis, administrationis & residentia
 in loco subjecto ordinario; nec conti-
 netur sub illa trium casuum, delicti,
 Contractus, ac Rei sitæ derogationes:
 ut infra patebit.

13. Cæterum firmum manet ac ra-
 tum causam Clericorum & Monacho-
 rum ex eo potissimum discerni, quod
 Clerici ex officio pascant oves, Mona-
 chi pascantur c. *Alia. 6. XVI. q. 1.* pul-
 chrè scribente S. Paulino *Clericus in ser-*
vitutem Ministerii vocatus est; Mo-
nachus in Monachi libertatem: ille au-
divit, ut dicat: Introibo ad Altare

DEI &c. & hic ab eodem Propheta didicit dicere: Singulariter sum ego, donec transeam.

14. Altera differentia, quæ priorem consequitur, in eo consistit, quòd Promotio ad statum Ecclesiasticum sit assumptio DEI nomine facta ab Ecclesia *Act. 13. v. 2. Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos:* Professio autem Religiosa sit oblatio voluntaria sui ipsius principaliter intendens salutem propriam, ut ex tribus votis substantialibus notum est, & ex delegatione solùm alienam, dum ab Ecclesiasticis tempore necessitatis in auxilium accersuntur, eo ferè modo, quo Apostoli *Luc. 5. v. 7. annuerunt sociis existentibus in alia navi, ut venirent & adjuvarent.* Quod cum probè nossent Regulares antiqui, non ita passim solitudinem pertæsi convolârunt ad functiones Ecclesiasticas peragendas; sed constans eorum sententia fuit apud Cassianum, duo Monachis fugien-
da

da esse, mulieres sc. ac Episcopos, illas,
ne inquinarentur; hos, ne sacris ordi-
nibus initiati è mandris, & Religiosis
secessibus ad publicam animarum salu-
tem procurandam evocarentur.

15. Sanè, qui veteres evolvunt Histo-
rias, non uno in loco reperiunt, quàm
illubenter Religiosi quondam activum
vitæ genus susceperint, sacræque solitu-
dinis suæ tam studiosi fuerint, ut vel à
Principibus supremis visitandi in cellu-
lis, quemadmodum de S. Henrico Im-
peratore ad S. Romualdi cellam profe-
cto legitur; vel per epistolas consulendi
fuerint, velut S. Antonius Eremita à
Constantino M. & S. Hildegardis Mo-
nialis à Philippo Comite Flandriæ ac
Veromanduorum; quibus si Regulares
nostri similes forent, aut saltem non nisi
vocati extraneos ob spiritualem dunta-
xat necessitatem accederent, exolevisset
utique vetus Parcemia ex c. *Placuit. 8.*
XVI. q. 1. desumpta: Sicut piscis sine a-
qua caret vita, ita sine Monasterio Mo-

A § *nachus*

nachus. Sed videamus nunc de eorum exemptione.

CAPUT II.

Quid ac quotuplex sit, & à quo detur Exemptio?

16. *Descriptio & divisio exemptionis.*

17. *Quis eximat?*

16. **E**xemptio est liberatio à potestate Ordinariæ. cùm *Persona*. 7. de *privil.* in 6. & tripliciter concedi solet, vel personæ tantùm; vel rebus tantùm; vel rebus & personis simul: prima *Personalis* dicitur; altera *localis*; tertia *mixta* seu *universalis*. Hæc rursus in *generalem*, & *specificam* dividitur, qua de re infra *dec. 2. c. 5.* videbimus.

17. Exemptio dari solet, ac potest à Superiore Eximendi, vel ab eo, qui potestatem habet in eundem superiorem, à cuius iurisdictione exemptio quaritur. Hinc cùm olim omnes Religiosi essent sub immediata potestate Episcopi,

pi, horum fuit, illis privilegia vel exemptiones elargiri: quemadmodum in primis exemptionibus contigit. At rarâ illâ indultæ libertatis dulcedine illecti subsequentes, cum ab Episcopis gratiam similem obtinere non possent, recurrerunt sub prætextibus diversis ad sedem Apostolicam tanquam fontem omnium ejusmodi gratiarum ac privilegiorum.

CAPUT III.

Quare data fuerit nonnullis
exemptio.

18. *Forma regiminis generalis Religiosorum à quibusdam introducta dedit causam exemptioni.*
19. *Alia causa exemptionis.*
20. *Nuperrimus Religiosorum conatus exploratus.*
21. *Episcopi quandoque excefferunt.*
22. *Prima exemptiones videntur respexisse temporalia tantum.*
23. *Frivola quorundam Regularium querela.*
24. *Episcopi, cæteris paribus, hoie non habent de quo multum conquerantur.*

18. **A**ucto fidelium numero, cum
 Episcopi magis intendendum
 censerent, qui medios inter mundi
 fluctus vitam mille periculis expositam
 agerent; quam qui in Eremitis, aut cœ-
 nobiis toti DEO ac rebus Divinis addi-
 cti sub accurato Superiorum Regulari-
 um regimine, dependenter tamen ab
 Episcopis constituebantur: Regulares
 conniventibus aut non satis vigilantibus
 Episcopis, cum prius singuli conventus
 singulariter ac independenter ab aliis
 gubernati fuissent, sub prætextu con-
 servandæ Disciplinæ, aliam generalis
 regiminis formam introduxerunt, Epi-
 scopis tandem non uno in loco tacite
 prorsus exclusis.

19. Primæ tamen exemptioni ex-
 pressæ nimia Episcoporum in Regula-
 res propensio, seu pia nimis de iisdem
 præsumptio, locum fecit, prout de S.
 Germano Parisiensi Episcopo legimus:
 quo exemplo alii hinc inde tracti, vel
 speciajibus erga Episcopos suos & S. se-
 dem

dem obsequiis simile beneficium pro-
mereri; vel suscitatis contra Antistites
suos querelis extorquere studuerunt:
cujus rei vestigia non obscura cernun-
tur c. *Conquerente*. 16. *de off. Judic.*
c. *Nimis iniqua*. 16. & c. *Nimis pra-*
va. 17. *de exces. Pralat.* Clem. *un.*
eod. qualia quidem in illo tempore facili
nimis aere, non sine ingenti quando-
que Episcoporum præjudicio audita
fuerunt.

20. Verùm cum simili rursus arte
nuper, resuscitatam nonnihil ordinario-
rum potentiam, Regulares deprimere
niterentur, porrectis S. Pontifici Gre-
gorio XV. per Eminentissimos Religio-
num Protectores quadraginta gravami-
nibus adversus Episcoporum potesta-
tem in uno folio typis dato congestis:
exploratâ Regularium intentione, eos-
dem repellendos esse decretum fuit: ut
Romæ palàm constat, & Regularis qui-
dam de visu testatur.

21. Tametsi non negem, per Episco-
pos

pos etiam stetit nonnunquam, adeò
 ut à Conciliis Chalcedonensi, Latera-
 nensi, ac aliis monendi fuerint, ne po-
 testate sibi in Monachos competente
 abuterentur; alii è contrà stimulandi, ut
 ferventiores existerent in regendis
 Congregationibus sibi subiectis.

22. Hoc ultimò subjungendum est,
 per primas exemptiones, temporalium
 dispositionem Episcopis solummodo
 videri subtractam fuisse, curâ publicâ
 observantiæ regularis, cum administra-
 tione spiritualium, iisdem relictâ. Qui
 antiquus Ecclesiæ mos dubium fecit ali-
 quando S. Pontificem, quid dicendum
 esset de liberatione concessa Agerico
 Abbati S. Martini apud Turonenses,
 quòd authoritati Episcopali subduxerit
 etiam dispositionem monasticæ disci-
 plinæ.

23. At degustatâ semel à Regularibus
 nescio quâ imaginariâ exemptionis dul-
 cedine, protenderunt illico manus ad
 alia, modò causati distractiones Institu-
 to

to contrarias; modò ordinariorum sæ-
vitiem; modò ampliorem authoritatis
Pontificiæ dilatationem; modò præcla-
ra sua in Romanam sedem & Religio-
nem Catholicam merita &c: quasi verò
ordinata à DEO Episcopalis potestas
consisteret in atrocitate herili Juribus
profanis Imperatoris Antonini obnoxia,
per quæ servis adversùs Dominorum
sævitiem licet ad Asylum recurrere, ut
oblato sui Corporis pretio libertatem
adipiscantur; vel S. Pontifici satis con-
sultum non esset per jurisdictionem su-
premam in Regulares simul ac ipsos E-
piscopos; vel compensanda fuissent in-
feriorum merita cum superiorum jactu-
ra, sive, ut Canonistæ loquuntur, di-
scoperiendum unum Altare, quò alte-
rum cooperiretur.

24. Sed quoniam talibus vel consen-
sere, vel non resistere confestim Epis-
copi; imò & Pater filium iniquus tra-
ctans, eundem emancipare compellitur,
nullum Episcopis contra Regularium
exem-

exemptionem tanto tempore possessam
ordinarium Juris remedium, sed nec
tanta, ut olim, querela nunc superest,
postquam à tempore S. C. Tridentini
ita rursus attonsa fuit exemptorum li-
centia, ut in plerisque casibus revixerit
primæva authoritas Episcopalis.

CAPUT IV.

Quæ fuerit mens S. Bernardi de
exemptione?

25. Verba S. Bernardi epist. 41.

25 **G**Ravia sunt S. Bernardi verba e-
pist. 41. CHRISTUS dedit vi-
tam, ne perderet obedientiam, quâ ipsi
ut careant, totum ferè suum suorumq;
victum expendunt. Quid hoc est præ-
sumptionis ô Monachi? sed non propter
me, inquis facio; sed quero Ecclesia liber-
tatem. O libertas omni, ut ita dicam,
servitute servilior! patienter ab hujus-
modi libertate abstineam, quæ me pesti-
mè addicat superbiae servituti. Plus ti-

meo dentes Lupi, quam virgam Pastoris.
 Certus sum enim ego *Monachus*, &
Monachorum qualiscunque *Abbas*, si
 mei quandoque Pontificis à propriis cer-
 vicibus excutere jugum tentavero, quòd
 Sathana mox tyrannidi me ipsum subji-
 cio. Quis dabit mihi centum in mei cu-
 stodiam deputari Pastores? quantò plu-
 res sentio mei curam gerere, tantò secu-
 rior ex eo in pascua. Stupenda insania!
 animarum non cunctor turbas mihi cu-
 stodiendas colligere; & unum super pro-
 priam gravor habere custodem.

CAPUT V.

De plerorumque Regularium
 exemptione subsecuta.

26. Prima exemptionum occasio.
27. Secunda earundem concessio.
28. Tempore Gregorii I. nulla adhuc fuit u-
 niversalis exemptio totius cujusdam Reli-
 gionis.
29. Exemptiones coarctae quibusdam ordinibus.
30. Artes quorundam Religiosorum.

31. Quo

31. *Quomodo sit intelligendum S. C. Trid. sess.
25. de Regul. c. 8.*

26. **P**Rima, ut dixi, Regularium exemptionis seu ignavia, seu nimia in Regularibus fiducia traxit originem: at tempore Conciliorum Nicæni & Chalcedonensis opportunè sublata fuit. In quem sensum etiam propendere videntur verba Adeodati S. Pontificis in præfata exemptione Monasterii S. Martini Turonensis.

27. Altera indulta fuit vel ab Episcopis ipsis, vel ad eorum preces à summo Pontifice, retentis tamen in eisdem iuribus diversis, ut videre est apud S. Gregorium.

28. Tertiò ampliata fuit Religiosorum exemptio in Concilio Romano sub Gregorio I. S. P. ad certos tamen Conventus duntaxat restricta, ut constat ex Bullis registratis in Bullario Cassinensi, quibus attestantibus diu post exemptio apud Theodorum P. pro Monasterio

Bo.

Bobiensi; apud Innocentium III. pro Monasterio S. Pauli de Urbe &c: quaesita, & per Specialia Diplomata concessa fuit.

29. Quartò surrexêre nonnulli, qui dilatatis paulatim fimbriis jurisdictioni Episcopali se plenè subducere nisi sunt: imò nondum nati, splendidiùs se nascituros putârunt, si cum publicæ lucis usura libertatem seu exemptionem à prædicta jurisdictione nanciscerentur.

30. Quintò aliqui per usum frequentem edocti, à Pseudo-Papis quæq; concedi, dummodo crebro ad ipsos recursu qualisqualis eorundem authoritas videretur agnosci: delatis ad Pseudo-Pontifices precibus exemptionem largissimam nacti sunt, à Martino V. deinde in Synodo Constantiensi nonnihil repressi.

31. Alii denique exemptis se aggregare de facto conati sunt, ut originariam subjectionem cum speciosa illa liber-

ber-

bertate ab Episcopali custodia permu-
tarent. Verum & horum Cabala tan-
dem denudata fuit à S. Congregatione
rerum Consistorialium A. G. 1648. a-
nimadvertente, facultatem se redigendi
in Congregationes, seu Capitula con-
gregandi, fuisse tributam à S. C. Tri-
dentino quoad illa tantum Monasteria,
quæ non subsunt Episcopis, nec suos
habent ordinarios Visitatores; sed sub
immediata S. Sedis Apostolicæ prote-
ctione & cura existunt: quin sub ejus-
modi prætextu Monasteria non exem-
pta liberare se pro libitu possint ab Epi-
scopali jurisdictione.

CAPUT VI.

Quomodo probetur & defen-
datur exemptio?

32. *Ostendi debet privilegium & quasi posses-
sio.*

33. *Quatuor modi defendendi exemptionem.*

32. **C**um ab initio omnes & omnia
fuerint sub autoritate localis
Episco-

Episcopi c. *omnes basilica*. 10. XVI. q. 7.
 isque proinde fundatam habeat inten-
 tionem: afferenti se exemptum incum-
 bit onus probandi: nec sufficit, quòd
 quis vel in Apostolicam protectionem
 receptus sit c. *Recepimus*. 8. & c. *Ex*
parte. 18. ✕. *de privil.* vel quòd Reli-
 giosi habeant Generalem supremum
 DD. in c. *Pastoralis*. 11. ✕. *de off. ordi.*
 Sed productione ac inspectione privi-
 legiorum perpetuò ac totaliter eximen-
 tium, seu plenam libertatem tribuenti-
 um opus est c. *Accepimus*. 4. ✕. *de fide in-*
stru: c. *Porro*. 7. c. *Recepimus*. 8. ✕. *de*
privil. c. *cum persona*. 7. eod. in 6. con-
 currente tamen quasi possessione con-
 sistente in quieto exercitio actuum ju-
 risdictionalium ab exemptis gestorum
 cum scientia & patientia Episcopi: quæ
 quasi-possessio similiter absque privile-
 gio non prodest exemptis ad obtinen-
 dam manutentionem contra Jus primæ-
 vum Episcoporum, nisi adeò diuturna
 sit,

sit, ut faciat præsumi pro Titulo, & loco tituli habeatur.

33. Qui verò ab ordinariorum potestate reverà exempti sunt, duobus modis adversus eosdem tueri se possunt. I. per declinatoriam, exhibendo integraliter privilegium prudentibus quibusdam viris omni suspicione carentibus, ad hoc per ordinarios deputatis (nisi Privilegium sit omnino notorium ac manifestum) in loco congruo & securo, intra terminum competentem pro facti qualitate arbitrio ordinariorum vel delegatorum suorum moderandum; tradendoque de articulis controversis transumptum. II. opponendo præscriptionem Canonicam, de qua iisdem Ordinariis vel eorum Delegatis faciant fidem. Aut si tandem privilegio simul & præscriptione se munitos affirmant: Privilegium quidem ipsum modo superius expresso exhibeant, hocque ad probandam plenè libertatem non sufficiente, coram præfatis personis anno-

norum 40. præscriptionem, ac possessionem non violentam, non clandestinam, non precario concessam ostendant. cit. c. *cum persona*. III. per exceptionem nullitatis sententiæ, si Ordinarii partes interpretandi Privilegium Apostolicum à Regularibus productum assumant. c. *cum venissent*. 12. *de iudic.* IV. per viam gravaminis contra vim injustam ordinariorum, provocando ad S. Pontificem, præsentando litteras inhibitorias, & similia peragendo, &c.

CAPUT VII.

An hodie Regularibus exemptio competat de Jure communi?

34. *et negativè.*

34. **D**ixi Regulares olim de Jure communi fuisse subjectos Episcopis: postquam verò plerique per Apostolica Privilegia corpori Juris inser-

ta

ta eorum ordinariæ jurisdictioni sub-
tracti sunt, dubium oritur, an dicendi
sint exempti de Jure communi? Quæ
in re, quicquid nonnulli distinguant in-
ter Legem Jurisdictionis, ac Legem
Diocesanam, absolutè negandum vi-
detur, cum inserta sint tantum corpori
Juris ut privilegia, non ut Jus commu-
ne; & aliud sit, esse exemptum de Jure,
omnimodè scilicet: ac absque limitatione,
aliud, esse exemptum de Jure, cum re-
strictione nimirum, ad casus expressos, qua-
lis est exemptio Regularium ad privile-
gia sua coarctata, quibus hodie dum
quotidie derogatur. c. *Volentes*. 1. de
Privilegiis 6.

CAPUT VIII.

De commodis & incommodis
exemptionum.

35. *Exemptiones Regularium quatenus con-
ducant S. Pontifici?*
36. *Quatenus ipsismet Religiosis.*
37. *Incommoda exemptionis.*

38. *Prosecutio argumenti.*

39. *Exemptio non placuit S. Francisco.*

40. *Remedium à S. C. Trid. allatum.*

35. **E**xemptiones Regularib⁹ concessæ
 profunt in multis & S. Pontifici,
 & Religiosis: S. Pontifici, cujus Aula
 Majestatem Prosper Cardinalis sancta-
 crucius famâ potissimum & hominum
 patientiâ niti asseruit, quòd authorita-
 tem suam in partibus ab urbe remotis
 prominere faciat; & per Regulares be-
 neficio exemptionis ad obsequium san-
 ctæ Sedis, quamdiu cum iisdem indul-
 gentiùs agitur, pertractos facilè mini-
 stris Apostolicis ea, quæ Hi forsitan a-
 liàs quantâlibet sagacitate suâ explorare
 non possunt, de regantur: quamvis non
 rarò graves intercurrent absurditates,
 cum apud Regularès, non semper in se-
 cretissimos penetralium recessus admis-
 sos, quandoque suspicionibus, levibus
 conjecturis, fallibilibus novis, atque
 utinam non subinde affectibus, locus
 sit. Et hic videtur esse favor ille S. se-
 dis

B

dis

dis Apostolicæ, quem Regulares e
Clem. Pastoralis. 2. de re judic. toties sa-
 ravim usque ingeminant, quòd sanctæ
 fedis intersit, multos sibi proximè sub-
 jectos habere.

36. Quantum porrò boni exempti
 Regularibus ipsis afferre possit, liquidum
 patet, dum per eam arcetur injusta sa-
 vientium Episcoporum oppressio; ex-
 emptisque tranquillius Divinis vacat
 licet sub Religiosa vite; & ordinis uni-
 us per singula penè loca difformitas im-
 peditur, si tamen Generalis ac ii, quibus
 cura visitandi commissa est, ritibus
 munus suum exequantur; & tandem Re-
 ligiosa humilitas, sub singulari Superio-
 re subiectis per omnia simili, saluberrimè
 conservatur.

37. Non pauciora sunt exemptionis
 incommoda: I. Turbatur in multis E-
 piscoporum Authoritas. II. augentur
 scandala publica, dum notoria sæpe de-
 licta non nisi privatim in claustris pu-
 niuntur. III. Invalescunt æmulatione
 peri

periculosa cum Clero ordinaria Jurisdictioni subiecto. IV, non-exemptis datur illicitum inhiandi similiter ejusmodi libertati, eamque importunis recursibus, mendacibus querelis, vel aliis quibuslibet modis procurandi. V. fœpius introducuntur doctrinæ Episcopali potestati, & pastoralis animarum directioni contrariæ; utiles verò è contrà penitus supprimuntur. VI, Regulares ipsi subinde petulciunt, factisque intolerabilibus providam Episcoporum curam contemnunt. Certè si de ortu hæresum quærimus, non infima ad eadem occasio fuit Regularium exemptio ab Episcoporum localium potestate.

38. Quod de autoritate & publico bono S. Pontificis dicitur, tanti vix esse quis putet, ut sanctæ sedi perinde non sit, an Regulares per distitum procul à particularibus locis superiorem Religiosum sibi subditum; an in singulis locis per Episcopum autoritate publicâ & particularibus notitiis pollentē, sanctæ-

B 2

que

que sed non minùs, quàm superiores Regulares, subjectum regantur. Imò ut ingenuè fassus est A. C. 1034. S. Petrus Abbas Monasterii Bellvacensis in Lemovicensi Concilio, quantò sublimior est Regularium status, tantò subjectior ac promptior esse debet ad obediendum Episcopis regimini Ecclesie Spiritu S. præfectis: non formidant idcirco Petro Blesensi scribere ad Alexandrum III. *Quid est eximere ab Episcoporum jurisdictione Abbates, nisi contumaciam ac rebellionem præcipere, & armare filios in Parentes?*

39. Sanè, si Regularibus ipsis fides habetur, exemptio grata non fuit S. Francisco Seraphici ordinis fundatori sed opus Fratris Eliæ hominis, carnis prudentiâ, non Spiritu Divino, nitentis: neque Religiosis ex sola humilitate ab Episcoporum obedientia recedere licet. optimè ajente Butrio ad c. nisi cum pridem. 10. n. 4. X. de renun. Humilitatem

tatem, quæ contra obedientiam erigitur, esse superbiam.

40. His & similibus exemptionum effectibus æquâ mente perpensis, resciscavit S. Tridentina Synodus in plerisque primæ vâ Episcoporum auctoritatem, Regularibus hâc consolatione relicta, quòd eam delegatam quandoque dici voluerit, ut in effectu à jurisdictione ordinaria difficulter possit discerni,

CAPUT IX.

An Ecclesia vel Religio exempta renunciare possit privilegio exemptionis?

41. *Exempti subjiciuntur quandoque per accidens*
 42. *Exempti renunciare non possunt exemptioni quantum ad se, invito S. Pontifice.*

41. **T**Ametsi juxta regulam, ob implicatum jus tertii, videl. Superioris exemptorum, exemptioneque volentes

B 3

lentes

lentes subdicere se possint Ordinariæ jurisdictioni illius, à cuius potestate exempti sunt *c. cum venissent. 2. §. de integr. rest.* id tamen de subiectione omnimoda & per se duntaxat, in causis indifferentibus ac personalibus intelligendum est; secus ubi per accidens, occasione muneris, vel alia de causa contingit, ut ex consequenti cognitio vel poena Religiosi ad talem pertineat. *c. volentes. 1. §. in eos. de Privil. in 6.*

42. Quod autem aliqui putant, exemptos renuntiare posse privilegio libertatis, quantum ad se; licet non quoad S. Pontificem: subsistere vix potest, si conferatur cum *c. significasti. 18. §. de foro compe:* ubi ne quidem Clericus sine proprii Episcopi licentia alieno se potest subdicere: quia hic actus subiectionis offenderet jus superioris inviti possidentis illam personæ vel Conventus subiectionem.

CAPUT


velut Operarios, admisit in partem procurandæ salutis animarum, cui Religiosi hodie dum solerter incumbunt cum ingenti Episcoporum & Ecclesiasticorum, ad quos aliàs id propriè spectat, levamine: æquum est ut observentur ac revereantur privilegia illis concessa

45. Prout è contrà Regulares exemptos omnino decet, ut recordentur sui statûs nativi, secundùm quem æquales ac alii non-exempti subsunt Episcopis, nec nisi per accidentale privilegium & ex gratia S. sedis Apostolicæ, tantillâ libertate fruuntur: ut proinde in aliis casibus, quibus eidem S. Sedi visum fuerit moderari præfatas exemptiones, ac tollere illud, per quod hæctenus impediebatur exercitium jurisdictionis Episcopalis, non habeant de quo justè conquerantur, eandemque in obsequendo promptitudinem ostendere debeant, quam optant in Episcopis ad relicta cæteribus Religiosis privilegia observanda.

46. Si argumentum à præteritis ad præ-

præsentia sumere licet, prout non vanè
 desumi posse opinor: quemadmodum
 ministerium Chorepiscoporum, mul-
 toties licèt ab Ecclesia reprobatur, vel
 in ordinem redactum, continuò tamen
 repullulavit, & pristinis functionibus ac
 factiõibus restitutum fuit, patrocinan-
 te illi ignaviã quorundam Episcoporum
 sollicitudinem Episcopalem omnem in
 Chorepiscopos rejicientium, donec
 ipsimet Episcopi à constituendis dein-
 ceptis Chorepiscopis penitus abstinue-
 runt, visitatione & curã Ecclesiastico-
 rum aliis ministris commissã: ita planè
 timendum esse videtur, ne similitates in-
 ter Ecclesiasticos & Regulares oboriri
 solitæ non ante tollantur, quàm vel ex-
 empti planè rursus subdantur Episco-
 pis, prout in S. Concilio Tridentino
 sub manibus erat; vel publicæ functio-
 nes Ecclesiasticæ denuo solis Ecclesia-
 sticis, ut olim, committantur; vel de-
 nique, quod S. Francisci Salesii pru-
 dens consilium & à bonis omnibus sum-

mè optandum est, Episcopi in jubendo, Regularium exemptorum; Hi verò in parendo, Episcoporum partes assument, hoc est, Episcopi non plus jubent, quàm sibi, si ipsi in Regularium loco existerent, præcipi rationabiliter vellent; nec Religiosi minùs obediant, quàm, si ipsimet in Episcopali gradu ac munere viverent, sibi ac sui similibus obsequendum putarent.



DECAS II.

De subjectione generali Regularium quantumvis exemptorum.

CAPUT I.

De reverentia localibus Episcopis debita à Regularibus exemptis.

47. *Regulares debent Episcopis localibus reverentiam.*

47. **Q**uod L. Pridem. 6. C. de quaestionib. ab Imperatore Gordiano

no l
sub
qu
id n
pif
em
stan
je
lem
nul
pif
nor
c.S
cip
(si
xi
D
48
no